



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

5. S. Eduardus Angliæ Rex

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

lemnioribus Festis Domini, & Mariæ formulamque addamus aut sodalitiæ aut Religiosam, seu sacræ Professionis. Dilecte! interrogat de fructu? audiemus: Dimittuntur ei peccata, quia dilexit multum.

Festum S. Eduardi Angliæ  
Regis.

EXHORTATIUNCULA I.

**H**ic Rex, hic Princeps est, qui pauperes, ac infirmos suis regalibus excepit humeris, ut eorum providè succurreret necessitatibus. O fili! Reges pro Deo, pro virtute, & gratiæ merito ita se humiliant: Quid nobis agendum? certè palea minima amore Dei, vel proximi sublata de terra plùs valet in cælo, quàm universa mundi vanitas. Quid enim in oculis Domini fortitudo Alexandri? quid Majestas Cæsaris? quid Ciceronis eloquentia? *In nihilum computabitur*, ait Salomon. Qualis veritas?

*Instructio meritoria.*

Amemus igitur opera virtutum. Hæc sola in cælo pretiosa est. Ut verò thesauros

sauros colligamus, sacculosque nobis faciamus, qui non veterascunt, proximo nostro sex specialis amoris, & reverentiae actus impendamus & post signum salutationis Angelicae *tria Pater & Ave* addamus pro obtinenda perfecta charitate erga Deum, & proximum. Non erit sine mercede haec Christiana pietas.

## II.

**D**Anis Angliam miserè vastantibus, quid agit Eduardus? Mariam in Adjutricem eligit, & invocat. En! quò in periculis, & hostium insidiis confugiendum. Maria nos expectat; brachia, & manus in opem porrigit, ut suscipiat, atque protegat periclitantes. Quid igitur stamus hìc otiosi?

*Instructio meritoria.*

Habet adhuc Anglia vastatores suos Danis crudeliores, quia haereticos impiissimos. Ut Maria succurrat tot periclitantibus animabus pro Angliæ, & aliarum nationum conversione *Cursum Marianum* manibus S. Eduardi offeramus SSS. Trinitati. Fili! *Deum imitemur* (monet Augustinus) *qui amavit nos*

*nos fædos, ut ex fædis faceret pulchros.*  
 Ut quid irascimur peccatoribus? aut cur  
 reprobamus? nobis timeamus! pro aliis  
 oremus, *charitate fraternitatis invicem*  
*diligentes.* Rom. 12.

## III.

**R** Ex hic Sanctissimus nihil non dabat,  
 cùm nomine S. Joannis Evange-  
 listæ rogaretur. In præmium ab eodem  
 Apostolo admonetur de instante mortis  
 horâ, & ad cœlorum invitatur gaudia.  
 O fili! quis cœlites, & Dei sanctos jam-  
 jam triumphantes non jugiter colat, &  
 diligat? *Nimis honorati sunt amici tui*  
*Deus!*

*Instructio meritoria.*

Erit totus quondam infernus, qui de-  
 cumbentes in lectulo mortis nos impu-  
 gnabit. Advocatos quæramus. Cœ-  
 lum habet. Invocemus omnes domesti-  
 cos Dei *Litanias de omnibus Sanctis*  
 persolvendô & nomen S. Eduardi quàm  
 devotissimè implorandô. Si Deus, si  
 Sancti pro nobis, quis contra nos?